Lēctiō	secunda	Dē	Olympō I.	Hic	est	Olympus.	Deī	superī	in	Olympō	sĕdent.	Ambrosiā

gaudent,	nectar	bībunt,	saepe	rīdent,	nam	immortālēs	sunt.	Egŏ,	Iuppĭtĕr	rēx	paterque	deōrum	et	hominum

sum.	Sceptrum	teneō,	taurōs	aquilāsque	diligō.	Dominus	sum	caelī	mundīque,	mŏdŏ	caelum	serēnum

est,	mŏdŏ	fulmina	mittō.	Et	egŏ	hominibus	lēgēs	mōrēsque	dō,	et	iūs	hospitiī	dēfendō,	quia

cuncta	superciliō	rĕgō.	Rēgēs	pŏpulīque	mē	timent,	ergō	colunt.	Ŭxor	mea	Iūnō	est.	Egŏ	Iūnō

sum,	Iŏvis	ŭxor,	rēgīna	deōrum.	Pāvonēs	dīligō.	Cōnūbia	fēmināsque	dēfendō.	Fēminās	puerperās	audiō.

Dea	Minerva	sum,	et	sum	fīlia	Iŏvis	sine	mātre.	Galeam	hastamque	habeō	et	clipeum	māgnum	teneō.

Noctuās	dīligō.	Olīvam	et	multās	artēs	hominibus	dō.	Hominēs	imprīmis	Athēniensēs	mē	timent	et	colunt.

Patrōna	Athēnārum	sum.	Sum	Neptūnus,	frāter	Iŏvis	Plūtōnisque,	deus	aquārum.	Tridentem	teneō.	Equōs,	imprīmis

equōs	maris	dīligō,	undās	ventōsque	rĕgō.	Hominibus,	quī	mē	nōn	timent	et	colunt,	mala	multa	dō.

Sum	Vĕnus	aurea,	dea	amōris.	Prope	īnsulam	Cyprum	ex	undīs	facta sum,	sed	mē	etiam	fīliam	Iŏvis

vocant.	Columbae	et	avēs	parvae	mihi	grātae	sunt,	cum	Grātiīs	Nymphīsque	ambulō.	Egŏ	sum	alma

Vĕnus,	caelum,	mare	et	terrās	concelebrō,	flōrēs	variōs	et	rŏsās	valdē	amō.	Quia	amōrem	dō,

grāta	sum	hominibus.	Et	Rōmānōrum	patrōna	sum.	Grāta	sum	etiam	deīs,	imprīmīs	Mārtī:	sī	Mārtem	vocō,

galeam	hastamque	pōnit,	et	pāx	candida	in	terrīs	est.	Egŏ	Mārs,	fīlius	Iŏvis	Iūnōnisque	sum,	deus	bellōrum.

Galeam,	hastam	clipeumque	habeō,	lŭpōs	pīcōsque	dīligō.	Hominēs	mortālēs	mē	nōn	amant,	sed	Rōmanī

dīligunt.	Egŏ	sum	patrōnus	Rōmānōrum.	Sī	mē	Vĕnus	amat,	galeam	hastam	clipeumque	pōnō,	et

in	terrīs	pāx	candida	est.